



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Adversvs Omnia Catabaptistarvm Prava Dogmata  
Heinrychi Bullingeri lib. IIII**

**Bullinger, Heinrich**

**Tigvri, 1535**

**VD16 B 9759**

De decimis magistratus

**urn:nbn:de:hbz:466:1-35433**



Vi sine omni discrimine de decimis lo-  
quuntur, populum suspitosum reddūt,  
Qui uerò sine conditione dicunt Chri-  
stianum decimas iure diuino non debe-  
re, seipsos seducunt, & simul furari plebem docent.

DE DECIMIS MA-  
gistratus.

Sunt quaedam decimæ quæ magistratibus aut præ-  
sidiis dantur, quæ uectigalia tributa aut census di-  
ci possunt. Dantur enim ad sustentationē eorū qui  
magistratum gerunt & pro nobis inuigilant. Hæc ita  
esse, probandum nobis uenit: Signa ergo produci-  
mus ex iuribus antiquis, ex literis, priuilegijs & con-  
suetudinibus. Testimonia iam sunt ex historijs, ut Cice-  
ronis pro lege Manilia. Quod si cui hæc testimonia in-  
firmiora uidentur, in scripturam Lectorem mittimus.  
Leuitis enim ut publicis personis decimæ decretæ e-  
rant. 1. Samuelis 8, adhuc clarius habetur: Hoc erit ius  
regis qui imperaturus est uobis, Segetes uestras &  
uinearum reditus addecimabit, &c. Deinde & hoc  
obseruandum, decimas non solum uectigales esse ma-  
gistratibus, sed etiam pœnas & multas, ut dum popu-  
lus per inobedientiam aut tumultum deficit, qui dein-  
de bello punitur, & pro expensis in expeditione ex-